

C A P V T III.

QVOMODO SCRIBENDVM SIT.

I. De utilitate scribendi. II. De ratione, qua id fieri oporteat. III. Non dictandum esse. IV. Qui locus et quod tempus maxime convenient ad scribendum. Repugnandum tamen interdum et temporis et loci incommodis. V. Ceris optime scribi.

I. Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis 1 autem quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris sic utilitatis etiam longe plurimum affert *stilus*. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum dicendi* vocavit. Cui sententiae personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, assignando iudicium suum cum illius auctoritate coniunxit. Scribendum ergo 2

§. 1. Inscriptionem variam ostendunt Codd. In Guelf. et editt. mult. ante Gesn. qui perinde atque Obr. nullam dedit, ea est, quam praeposuimus; in Turic. a sec. m. et Goth. editt. vett. ante Stoer. *qui modus scribendi sit. — et haec. al. at Goth. Ald.* Ita passim in transitu: XI, 3, 88. *et hi quidem de quibus sum locutus. — in iis.* Guelf. qui in malam partem propositi tenax reperitur: *his. — stilus.* In plerisque editt. vett. exaratur: *stylus.* neque ab eo usu recessit Obr. In Turic. est: *sterilis*; quod equidem monstrum exortum putaverim ex antecedenti: *affert. — vocavit.* Sic Spald. ex indicibus quamquam subobscuris Cod. Turic. pro vulgar. *vocat.* In illo enim est: *vocatis.* Simili modo supra I, 31. pro *molli* dederat: *uberi*; quippe in Tur. scriptum est: *mo- veri.* De re cfr. Cic. de Orat. I, 33.

§. 2. *altius.* Optimus Cod. Flor. a pr. m. dat *altum*: Guelf. cum Par. 6. *alte*, quod etiam est in editt. Stoer. Chouet. Leid. In Ambr. 2. datur: *alter.* Sed recent ex cod. Bodl. tuentur nostrum. Obr. Gesn. Spald. Cfr. supra II, §. 20. Nobis *alte* satis fuerit, tum propter notionis gravitatem, quae inest verbo *effodere*, tum quod comparationis gratia additum legitur: *non a summo petitus. — fit.* Ab opt. codd. abest, Tur. pr. m. Flor. Guelf. Quare etiam omiss. in editt. Iens. et posterr. ante Ald. acc. Obr. Alii dant: *est.* Gesn. Sed nostrum et usum Quinctil. adiutorem habet, et quod *fit* levi lapsu interire potuit propter vicinum *sic*, quod in *si* commutatum monstrat Tur. — *et fundit.* Sic Camp. et praeter Cod. Goth. aliquot editt. vett. Basil. Gryph. et post Gesn. Bip. Spald. et Gesn.

quam diligentissime et quam plurimum. Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit, sic profectus non a summo petitus studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit et verba in labris nascentia.

3 Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, quum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum et usu non

4 exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit ma-

Contra Turic. (in quo *effunditur*) et Paris. 1. 2. 6. persistent in: *effundit*; et sic pleraeque editt. Duo sunt, quae tardiores nos reddant ad sententiam Spald. et reliquor. amplectendam: primum quod *effundere* constanti fere usu optimorum scriptorum dicitur de *segetibus*. et de omni laeto proventu. Cic. Orat. 15. segetes fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam *effundunt* inimicissimas frugibus. Brut. 9. *effundit* haec aetas hanc copiam oratorum. Adde Quinctil. 1, 3, 5. quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se *effundunt*. Deinde quod dictum est *uberius*; hoc enim magis conveniens est *effundenti* quam *fundenti*, cuius est *late* vel *latius dispergere*. Quinct. II, 3, 17. Lib. VI. extr. Denique, quamquam id minoris aestumo, ipsa verborum collocationi aliquid subest, quod rem nostram adiuvet: nam compositionem et sonum in oratione quoque varie pro rerum modo adhiberi, sicut in musice, auctor est Quinctil. I, 10, 23. — *dicendi facultas*. Quod in Flor. est: *difficultas*, unde prodierit vel oculorum acies docet.

§. 3. *aerario reconditae*. Dubia lectio: nam in Tur. Flor. Guelf. datur: *conditae*. In Tur. a s. m. *sacrario*, quod et Campan. et lens. cum posterr. ante Ald. exhibent, nisi quod lens. cum posterr. habet: *reconditae*, Camp., *sunt cond.* quod etiam est in Flor. — Sed *sacrarium* non sine *ταυρολογίας* vitio addi poterat, monente Gesn. ad h. l. et *recondit.* praebent Cod. Goth. et ex parte Tur. in quo est: *ea rarior condit.* Ac scimus quam saepe *s* et *r* inter se commutatae sint. Vid. exempla apud Drakenb. ad Liv. 26, 51, 4. Burmann. ad Ovid. Fast. IV, 209. Gronov. Observatt. I, 15. Praeterea res ipsa documento est: in *sanctiore* enim *aerario* pecunia publica ad ultimos casus servabatur. Cfr. Liv. 27, 10, 11. — *subitos quoque*. Quod ad h. l. olim protulit Badius *quosque*, quamquam nulla Codd. auctoritate nisus, Spalding. non improbat, Frotsch. in textum recepit. At improbare debebat Spald. vel propter ea quae iuxta apposita leguntur: *quum res exigit*; ut alias taceam rationes, quarum duae sunt valentissimae, quibus illud *quosque* ad irritum cadat. — *exiget*. In Guelf. *exigent*. Voss I. *exigunt*. Camp. *exigit*.

§. 4. *effici cito*. Recedere a Spald. qui dedit: *effingi cito*, quoniam esset in Tur. *effugitio*, in Palat. Gebhard. *effugere*, idem in Tur. a. m. sec. unde Burm. coniecit: *effingere*, nos iussit tum

18  
gnum ef  
difficulta  
ut maio  
rentur.  
II.  
maxime  
primo ve  
nec prot  
cium inv  
verborum  
nanda.  
modo n

Codd. au  
que adiu  
effingere  
de natura  
ut altera  
quae eff  
10, 9  
tifex cre  
nexe, h  
quoddan  
Exempli  
26. se  
quentiae  
operibus  
rum e et  
tam per  
terprett.  
Met. II,  
a natura  
molestia  
tando el  
parentis.  
Amb. 2.  
quod ide  
vicinitas  
27. pro e  
dit: affec  
gessit Dr  
Verum s  
proposito  
Vid. II, 1  
§. 5.  
Sext. c. t  
mutat Pr  
dus. al.  
opt. Cod

gnum effici cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut maiora animalia diutius visceribus parentis contineantur.

II. Sed quum sit duplex quaestio *quomodo et quae* maxime scribi oporteat, iam hinc ordinem sequar. Sit 5 primo vel tardus, dum diligens, stilus; quaeramus optima nec protinus offerentibus se gaudeamus: adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi: versentur omni modo numeri: non ut quodque se proferet verbum, occu-

Codd. auctoritas, tum omnium editt. consensus. His alias quoque adiungere liceat rationes, haud infirmiores. Nam primum *effingere* hominis magis est, *efficere* naturae. Cic. Acad. I, 6, 24. de natura philosophi ita dicebant, ut eam dividerent in res duas, ut altera esset *efficiens*, altera autem quasi huic se praebens, ea quae *efficeretur* aliquid. Quare etiam recte legitur Quinctil. XII, 10, 9. Phidias tamen diis quam hominibus *efficiendis* melior artifex creditur. Deinde *efficere* dicitur simpliciter, *effingere* connexe, hoc est, ita ut vel proponatur, vel animo cogitetur summum quoddam et perfectum exemplar, ad quod aliquid formetur. Exemplis ipsa Quinctil. scripta abundant. Cfr. X, 1, 108. 1, 2, 26. se ad spem tollere *effingendae* quam *summam* putant, eloquentiae. Porro non de sola *imitatione* agitur, sed omnino de operibus qualiscunque generis procreandis. Ipsam vero literarum *c* et *g* tum propter similitudinem tum ex pronuntiatione exortam permutationem ad omnes fere scriptores vet. adnotarunt interpret. Cfr. Corte ad Plin. Epp. V, 6, 4. Burmann. ad Ovid. Met. II, 505. Drakenb. ad Liv. 6, 25, 6. Denique *difficultas* a natura *praeposita* potius *efficere* quid conanti quam *effingenti* molestias facessit. Hic enim in *perfectissimo quoque* repraesentando elaborat, ideoque *summam artis* speciem reddere studet. — *parentis*. Ex Guelf. et Camp. adsent. Goth. et nunc Paris. 2. 6. Amb. 2. Gesn. et Spald. Rel. *parentum*. In Tur. est: *parentibus*: quod ideo memoramus, ut quid erroris vocabulorum et formarum vicinitas librariis effecerit, tironibus apertum fiat. Ita supra II, 27. pro *omnis* in Tur. et Flor. datur *omnibus*; nimirum antecedit: *affectibus*. — *hinc*. al. *hic*. Guelf. Confusionis exempla congressit Drakenb. ad Liv. 26, 13, 13. *hunc*. Obr. cui favet Gensler. Verum solemnem esse scriptori nostro illam locutionem, ubi ex proposito rem per singulas partes exponere incipit, monuit Spald. Vid. II, 11, 1. III, 1, 1.

§. 5. *offerentibus se*. In Flor. *fferent e*. Cfr. Orell. ad Cic. Sext. c. 6, 7. Plerique editt. *se off*. Obr. Gesn. Saepe locum mutat Pronom. person.; sed ne id temere fiat, cavendum. — *agendus*. al. *habendus*. Iens. et posterr. ante Basil. et al. Illud ex opt. Codd. Utrumque recte dici adnotavit Burmann., fortasse

6 pet locum. Quae quidem ut diligentius exsequamur, repetenda saepius erunt scriptorum proxima. Nam praeter id quod sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires et velut repetito spatio sumit impetum: quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant et ad illud aliud quo contenditur spatium cursu ferantur: utque in iaculando brachia reduci-

7 mus et expulsuri tela nervos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scri-

8

*agere* usurpatum esse, quod hic improprie usurpetur *delectus*, monuit Spald., curae et diligentiae maioris notionem verbo *agere* inesse censet Frotsch. Dicas caussam esse, quod *delectum agere* ipsius est *auctoris*, ad quem tota res pertinet, ita ut ipse *delectus* totius operis scil. scribendi *pars* sit habenda; contra qui *delectum habet* id muneris ex mandato peragit: quo ubi defunctus est, officio satis fecit. Itaque si qua notio subest, est *diuturni* et *continui* laboris. — *post. al. postea.* Camp. et nonn. posterr. ante Stoer. In Tur. et Flor. *potest.* Nostrum dat Guelf. — *versentur.* al. *serventur.* Camp. Sed cfr. infr. V, 9. Quod Spald. suspicatus est h. l. a Turic. abesse encliticam, id in dubium vocaverim vel propterea quod additur: *non etc.* — *proferet a'. proferat.* Camp. acc. Paris. 1. 2. 6.

§. 6. *scriptorum.* Cum Tur. (a sec. m.) Flor. Iens. et posterr. ante Bad. exhibent: *scriptori.* — *mora refrixit, rec.* Iens. et posterr. ante Bad. inserunt: *sic* (etiam Obr.) ante *recepit*, quod dant pro: *recip.* — *conatum.* Camp. *conatu.* — *illud aliud.* Vulgo omitt. *aliud.* Obr. in *illud.* Nostrum Spald. ex Tur. Flor. quamquam illo incerto auctore. Gernhardus, quod insolentius dictum videretur, uncis inclusit *aliud*: nescio num merito, quum de re usitata et omnibus nota sermo sit; neque in eo consentio, quod facilius vel aptius quis dixerit: *alterum*, primum quod non tam conveniens *spatio*, quam *termino*; deinde quod *aliud* indefiniti quid habet: cogitari enim potest vel brevius vel longius.

§. 7. *feret flatus.* Al. vel *fieret.* Tur. Flor. Guelf. Paris. 1, 6. et Iens. cum posterr. ante Ald. acc. duobus Voss. vel *fuerit.* Sic Camp. cum Bodl. Goth. aliisque. Nostrum tuentur et Obr. et Gesn. et Burm. qui praeter alios Servium testem accivit, ad Aen. VII, 27. et nunc Paris. 4 5. Ceterum ipsa *imaginis* ratio ea est, quae lectionem confirmet: omnia enim poeticum ostentant colorem.

§. 8. *Varus.* Frotsch. et nuper Gernh. exarari voluerunt: *Varius*, suadente Spald. sed quum esset contra Codd. auctoritatem, recipere non conante: est tamen aliquid testimonii in Flor. et Guelf *variis.* De scriptura nominis alii quoque viris DD disceptatio exorta. Cfr. *Baehr* Hist. rei lit. Rom. p. 52. 81. Cur

pssisse Sallustium accepimus: et sane manifestus est etiam  
 ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die  
 composuisse versus auctor est Varus. Oratoris quidem  
 alia conditio est. Itaque hanc moram et sollicitudinem  
 initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc  
 obtinendum est, ut quam optime scribamur: celeritatem  
 dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba  
 respondebunt, compositio prosequetur: cuncta denique,  
 ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec  
 est rei. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene 10

h. l. a Quinctil. scriptum fuisse censeam *Varus*, aliqua ratio  
 subest.

§. 9. *hoc obtinend.* Obr. *ac obtin.* Nolumus repetere trita  
 et de quibus nunc inter omnes convenit, de usu particulae *ac*, cui  
 ante vocalem literam locus non sit: unum memoramus, quod mi-  
 rum videbatur, in Sallust. Iug. c. 100. edit. Müller. etiamnunc  
 exaratum legi: *ac in conspectu.* — *prosequetur.* Ita opt. codd. et  
 Obr. Reliq. *sequetur.* Gesner. coniciebat: *per se seq.*

§. 10. *facultas.* In edit. Ald. Bald. *facilitas*: ex errore li-  
 brariorum aequè excusando ac frequenti. Quinctil. IV, 1, 61. et  
 infra Cap. V, 1. — *resistamus etc.* Concedere quidem fas esse pu-  
 tavimus auctoritati et iudicio Spaldingii, quamvis nobis persuasum  
 sit, haec qualia in libris aliis aliter proferuntur nec mente nec ca-  
 lamo Quinctilianum concepisse. Sed audiamus virorum DD. sen-  
 tentias. Frotscher. locum ita constituit: *resist. et provideamus ef-*  
*ferenti se quosdam frenos, quibus coerc.*; quam quidem valde im-  
 probavit Zumpt. contra felicissimam praedicavit Geelius conie-  
 cturam. Neque adsentitur Gernh. cui probabilior videtur ratio  
 haec: *Resistamus, provideamus et — coërceamus.* Zumpt. ad h. l.  
 scribendum existimat: *et provid. et efferentem se* (dicendi faculta-  
 tem) *quasi frenis quibusd. coërceamus.* Lectio quam dedimus Spal-  
 dingii tota paene est edit. priorr. nisi quod ille particulae *et feroc.*  
 quae est in plerisque, (Obr. Gesn.) substituit *ut.* In Ald. et paucis  
 exhibetur: *ac.* Alia vero discrepantia est, quod in Flor. a sec. m.  
 in Goth. Voss. 2 et edit. vett. ante Gryph. exc. Ald. perinde  
 atque in Paris. 1. 2. est: *prohibeamus.* Pro *ferocientes eq.* longe  
 plurimi et optimi Codd. (Tur. Flor. Alm. Guelf. Ambr. 2. In Pa-  
 ris 1. 2. 6. *et effer. eq.* et ante Gryph.) conspirant in: *efferentis*  
*eq. vel efferentes* vel parvo discrimine: *et ferentes.* Quae quum  
 ita sint, nobis diligenter his omnibus quamvis inter se contrariis  
 opinionibus ponderatis eo redit sententia, ut *imaginem* illam ab  
*equis petitam* si per se spectaveris, neque ineptam neque indignam  
 habeamus; contrarias vero partes ita nuper conciliare tentavimus  
 ut ab auctore scripta fuisse statueremus haec: *resistamus ac pro-*  
*videamus, et ut efferentes se equos frenis quibusdam coërceamus; sc-*  
*nos,* nam ad *facultatem* non nisi violenta et illepidam quaedam fit  
 translatio. Nam num apte dicatur: *providere frenos* alicui, ut  
 idem sit, quod: *frenos imponere*, dubitaverim; atque illud *fero-*  
*cientes* potius glossatoris quam scriptoris habuerim. Quod Burmann.

scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime quum facultas illa contigerit, resistamus ut provideamus, et ferocientes equos frenis quibusdam coerceamus: quod non tam moram faciet quam novos impetus dabit. Neque enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem  
11 calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo

edidit: *furientes*, et quod attinet ad equos et ad scriptorem, modum excedit. Verum nonnulla sunt, quae displiceant et quibus imago claudicare putem. Primum illud est, quod dicitur *frenis quibusdam*, at *equi* non quodammodo sed vere ac proprie frenis reguntur. Quid quod in *ipsa imagine* adhibenda, cuius vis est ad rem explicandam et ante oculos veluti collocandam, indefinitae locutioni locum esse statuamus? Minime vero. Tum gravissime offendamur necesse est eo, quod obiecti notio frustra requiritur. Quae quamquam suppleri potest, sive *facultatem* adsumas, sive *nos*, id fieri nequit nisi per saltum. At si cuiusquam oratio dici debet *continua* et *connexa*, quoad sententias, Quinctiliani est. Itaque haec considerans eo perveni ut ab auctoris manu haec exarata putem: *resistamus et provid. efferente s que nos frenis quibusd. coerc.* — Iam unde advecti fuerint *equi*, manifestum est; et quid sit *se efferre*, satis constat. — *neque enim*. Sic Spald. ex Tur. Flor. Guelf. Reliq. *nec enim*. Obr. Gesn. In Camp. et Ald. est: *nec vero*. — *fecerint* al. *fecerunt*. Goth. Iens. cum posterr. ante Basil. — *calumn. se.* al. *esse*. Solus Obr.

§. 11. *officiis civil.* Rel. invertunt ordinem: *civ. off. poss.* Obr. Gesn. In Guelf. *off. poss. civ.* — *insenescat*. Quum in Tur. et Flor. insertum esset *vel post singulis*, quod a corrigente mutatum est in *velut*, Frotschero digna visa est vox, quae reciperetur: itaque dedit: *velut insen.* praeceunt. Camp. Magis placet Spaldingii opinio, suspicantis ponendum esse illud *vel* ante *singulis*. Nimirum etiam *vel* particula excusantis est ac sententiam paullo duriorum moderantis; saepe aequat nostrum: *ich möchte sagen*. — *occurrit* al. *occurrat*. Camp. et post Obr. Cfr. supra Cap. II, 28. — *increduli quidam*. In Tur. Flor. et duabus edit. vet. est: *quidem*, non: *creduli quid*. uti apud Gernh. haud dubie operarum vitio legitur quod probabile *visum est* Genslero, sed eum confutavit Frotsch. Explicat *quidam* ad h. l. Gernhard: *qui quodammodo dici possint increduli*: verum ad id attendendum est, quod cum quadam miseratione enunciatur, vel si placet, cum contentu. Dixi de meo iudicio, sed suppetit eiusd. sententiae gravissimus auctor Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 1, 42. a quo locus laudatur prorsus similis nostro: *habitant hic quaedam mulieres pauperulae*. Scil. *quidam* in *utramque partem* dicitur, pro notione adiectivi vel bona vel mala, alias est *eminentiae* et *laudationis*, (cfr. Eclg. Cic. p. 9.) atque maiore etiam cum vi usurpatur quam Graecor. *τις*. Sed quae huius loquendi usus sit conditio, optime apparebit comparatis inter se vocabulorum notionibus: *vir, homo, quidam, nescio quis*. — *ingenio suo*. Omitt. suo Tur. Flor. Camp. c. Alm. Non male id factum putabat Spald. contra statuit Frotsch. cui adsentimur; nam *ingenium* ubi ubi dicitur hominem spectat, cuius est: notio illa absoluta, quam vocant, qua veluti

sufficere officiis civilibus possit, qui singulis actionum partibus velut insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit velint: increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, 12 quibus omnia sua placent an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Iulium Secundum illum, aequalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit 13 Iulius Florus, in eloquentia Galliarum, quoniam ibi de-

*virtus, probitas ad universos pertineat, a voce ingenium prorsus aliena est.*

§. 12. *enim.* Sic Spald. ex Guelf. cum Basil. quum in Flor. sit: *etiam*, cum qua faciunt Goth. et ex editt. Iens. cum posterr. ante Ald. In reliq. *enim etiam*; sic Obr. Gesn. et nuper Frotsch. Non dubitavimus Spaldingio obtemperare, qui ex male capta emendatione geminationem coniunctionum exortam censet; nam *etiam* et *enim*, per compendium scriptum eē identidem commutata sunt. Cfr. supra I, §. 40. Quod si Quinctiliano talis placuisset cumulatio, equidem censeo, eum scripturum fuisse: *ingen. quoque. — familiariter amatum.* Quod miraberis, a Tur. datur: *viroter amat.* a manu corrig. *viriliter amat.* In Flor. haec desunt, item in Alm. Si quid scriptoris ingenio dignum putem, est: *fortiter amat.* ἄρδρστος: scil. quamquam desunt testes, fieri potuisse statuo, ut Quintil. amico constantis ac fortis amoris singularia quaedam et eximia ediderit documenta: certe non defuit temporum saevitia. — *mirae facundiae.* Frotsch. ex Flor. dedit: *mira fac.* Obsequendum puto Turicensi, qui nostrum certe ex parte tuetur. — *quid.* In Goth. *quod.* Probavit Spald. Bene habet vulgat. — *patruo. Camp. patre.*

§. 13. *abductae.* Ita opt. codd. et editt. vett. al. *abductae.* Post Tarv. Obr. Gesn. Utramque lectionem ex usu loquendi esse docuit Burmann. ad h. l. Pro nostra stat praeter Heinsium quem laudavit Burm. ad Ovid. Epist. XXI, 165. Quinctil. XI, 3, 78. superciliis frons contrahitur, *attollitur*, demittitur. ibid. §. 79. supercilia *allevantur*; et quod Plin. Epp. II, 5, 5. dixit: *frontem remittere.* et Sueton. Tib. 68. *adducto* fere vultu. Illam adiuvat Ovid. Met. II, 329. nam pater *obductos*, luctu miserabilis aegro condiderat *vultus.* Cfr. Casaub. ad Suet. I. I. Ceterum quid differentiae intercedat, facile sentitur, et quam recte viderit Spalding. Unum est indignationis, alterum aegritudinis; illud voluntarium quid indicat, hoc ab aliis effectum.

mum exercuit eam, princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate. Is quum Secundum scholae adhuc operatum tristem forte vidisset, interrogavit, 14 quae causa frontis tam adductae? Nec dissimulavit adolescens, tertium iam diem esse, quod omni labore materiae ad scribendum destinatae non inveniret exordium: quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid* 15 *tu*, inquit, *melius dicere vis quam potes?* Ita se res habet. Curandum est, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Ut possimus autem scribere etiam plura celerius, non *exercitatio* modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio*; si non resupini spectantesque tectum et cogitationem murmure agitantibus expectaverimus, quid obveniat, sed quid res postulat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia et quod sequitur natura 16 ipsa praescribit. Certa sunt enim pleraque et nisi conni-

§. 14. *quod*. Sic post Obr. Burm. Spald. ex opt. Codd. al. quo praeter Goth, Voss. 2. Camp. Iens. Tarv. Reliqui: *ex quo*. Gesn. Similis est locus Plin. Epp. IV, 27. Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium.

§. 15. *ad profectum*. Non possum mihi persuadere locum sanum esse, quum in Tur. et Flor. quamvis prodigiosi quid reperiatur hocce: *adfecero tum*. Accedit, quod illa ipsa particula *enim*, si orationis nexum spectes, nec loci nec temporis esse videtur: requiritur enim non tam *caussalis* vel etiam *illativa* uti vocant, quam *adfirmativa* atque simul errorem supra incusatum refutans. Itaque collegerim, illud *tamen* quod antecedit, transpositum rursus irrepsisse in versum sequentem, et a librario per compendium scriptum esse *tum*: (Drakenb. ad Liv. 22, 17, 5.) mira vero illa specie quae prostat in Tur. et Flor. *ad fecero*, significari: *ad id vero*; particulam *enim* prorsus delendam esse censeo, utpote quae originem duxerit ab illo *tum*; quod quomodo et quam saepe in *enim* mutata forma transiierit et supra dictum est et pluribus demonstravit Drakenb. ad Liv. IV, 44, 9. — *plura celerius*. Vulgo inserunt: *et*. Obr. Gesn. Nostrum Spald. auctoritate Codd. melior. notae et editt. vett. — *intuitu*. al. *intuitu*. Iens. et posterr. ante Ald. — *quod sequitur*. Sic Spald. ex Tur. Flor. Camp. Vulgo: *quae sequuntur*. Obr. Gesn. — *praescribit*. al. *praestabit*. Camp. et vett. editt. pauc.

§. 16. *semper putem*. Hoc ordine Spald. monitus a Tur. Flor. Camp. Reliq. *putem. semp.* — *innutescamus*. al. *praepo-*

veamus  
rustici  
magis  
putem  
si nihil  
versum  
materia  
rem atq  
cant: r  
verba e  
gestis  
rectius  
non ex  
ctus se  
valet.  
II  
neglige  
tiam.

nunt: n  
nec. —  
Gesn. e  
p. 157.

§. 1  
quasi: e  
disse pu  
Tur. in  
modo a  
sentio,  
eleganti  
adfirmat  
nonnulla  
amplecti  
tivo dec  
Paris. 2.  
quod Ge

§. 1  
et Futur  
ex vetus  
cum mu  
§. 1  
et Almel  
stat scri  
stendo  
Epexege  
cupidita



veamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo semper putemus optimum esse quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur nisi quod non invenimus. Di- 17  
versum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc *silvam* vocant: repetunt deinde et componunt quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam 18  
rectius erit atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequimur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.

III. Satis apparet ex eo quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis sentiam. Nam in stilo quidem quamlibet properato dat ali- 19

nunt: *ne*. Iens. et posterr. ante Stoer. In Camp. praemittitur *nec*. — *nisi quod non inven.* a Guelf. abest *non*; approbarunt Gesn. et Gierig. Vide quae contra disputavi ad vers. German. p. 157. Not. 85.

§. 17. *decurrere*. Apud Iens et post. ante Basil. praecedit: *quasi*: ex quo fonte id emanaverit, incertum: occasionem dedisse putat Spald. monstrum quoddam scripturae, quod est in Tur. *inquiri modo*. Scilicet si mentem Spald. perspicio, illud *modo* aliquis explicavit per: *quasi*. Verum ut profitear quod sentio, nonne *modo*, quod omnes aspernati sunt, aliquid praefert elegantiae? — *volunt*. Quaerit Spald. num *velint* rectius? frigere adfirmans illud *volunt*. Adsentior, sed quid inde? Mutentur nonnulla necesse est, quod quomodo fiat, dubium est, nisi quis amplectatur *velut*, quod datur in Tur. a sec. m. immutato Infinitivo *decurrere* in *decurrentes*. — *quae fuit*. In Goth. Voss. 2. Paris. 2. et in editt. Iens. ac posterr. usque ad Basil. *fudit*: quod Gesnero placuisse recte admiratus est Spald.

§. 18. *sequimur*. Fluctuant Codd. et editt. inter hanc formam et Futuri *sequemur*, ex vulgari errore. Nostram revocavit Spald. ex vetustissimis libris et editt. alteram approbarunt Obr. Gesn. cum mult. priorr. inde ab Ald.

§. 19. *aut resistere aut mutare*. Omissa haec in Tur. Flor. et Almél. quod nescio an consulto factum sit: ut absint integra stat scriptoris sententia: illa enim ipsa dubitatio est in resistendo vel mutando. Itaque si genuina sunt quae leguntur, Epexegeſis habeas exemplum, veluti Sall. Cat, 2, 1. *vita sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant*.

quam cogitationi moram non consequens celeritatem eius manus: ille, cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare aut resistere aut mutare, quasi conscium  
20 infirmitatis nostrae timentes. Quo fit, ut non rudia tan-

§. 20. *at idem ille qui excipit si tardior scribendo aut inertior, (in) legendo velut offensatus fuerit.* Locus ab aliis aliter tentatus; neque si quid viderim, ad integritatem sic restitutus, ut lis composita videatur. In quatuor potissimum discesserunt partes viri DD. Primum vulgata exhibebatur lectio haec: *at id. ille q. exc. si tard. in scrib. aut inert in leg. velut offensator fuerit.* Ab his paullo diversus Spalding. locum ita retingi volebat: *si tard. scribendo (sive in scrib.) aut incertior et delendo velut offensator fuit.* Frotsch. qui uberius rationem suam exposuit in libello singulari inscripto: *Observatt. criticae in quosd. locos Quinctil. Lips. 1826. p. 17. sp. locum in hunc ordinem rededit, verbis qui excipit uncis inclusis: qui tard. scrib. aut incertior et diligendo velut offensatur.* Postremo non reticenda sententia Censor. Quinctil. Spaldingian. aliquanto audacior: *at idem ille (scil. impetus dicentium) excipit tardior aut incertior velut offensatur, atque omnis etc.* Nempe *conditionalem particulam* a scriptore omisam credas. Minus dura ideoque tolerabilior videtur coniectura quam exempli causa proponit Frotsch. *ibid. p. 20. at id. ille si tard. scrib. aut incertior est diligendo, velut offensatur cursus atque omnis etc.* Nostra dedimus de coniectura, cuius rationes reddidimus ad vers. Germ. p. p. 161. Not. 89. Ad Frotscheri sententiam nuper accessit Gernhard. Contra Zumpt. veram scripturam censet *offensatus fuerit*, ac praestare: *tardior scrib. aut incertior legendo.* De Codicum testimoniis si quis quaerit, ii haec fere exhibent: et *diligendo.* Tur. Flor. Alm. om. et. *incertior.* iid cum Guelf et Ambr. 2. *fuit.* Tur. Flor. Guelf. Voss. I. — Quo minus *offensator* cum Spalding. retineamus, vel id prohibet, quod huiusmodi *ἀπαλλομερον* neque usum habet testem, et quia simpliciter dictum non addito generis vel speciei nomine, friget; atque ipsi imagini illepidi quid subesse videtur. Sed quod tanquam clausulam additum existimet lector, quum semel coniecturarum campus pateat, monemur particula *et*, quam constanter servant libri optimi, ut tres potissimum criminationes h. l. a scriptore significari putemus, quibus obnoxii esse possint scribae. Sunt enim vel *tardi gradi* ita ut moram faciant dictanti, vel *inertes* hoc est, imperiti et in arte sua tirones, vel malam illam et vitiosam et quae a scriba abesse debeat consuetudinem sequuntur, ut dictata et quae literis descripserint, *relegant*, homines scilicet rerum curiosi quae ad se non pertineant, ac temerarii. — Sed iam satis; itaque manum de tabula. — *conceptae.* Quum omnes libri persistent in hac vocabuli forma, cedendum esse putamus maiori, praesertim quum quae sit *concepta mens* et usus loquendi doceat, et *intentio concepta* aliquid redundantiae et improprii habeat. Vide si placet a nobis adnotata ad vers. Germ. p. 103. quibuscum conferas, ne videamur iudicium lectoris praecipue occupasse, Davis. ad Cic. N. D. I, 2. et Ecl. Cic. p. 33. edit. III. ubi leguntur: *in specie fictae simulationis.* al. *ficta.* Ceterum ne quis haereat in verbi *excutere* propria significatione; eaque ma-

tum et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quae nec scribentium curam nec dicentium impetum consequantur. At idem ille qui excipit, si tardior scribendo aut inertior et (in) legendo velut offensatus fuerit, inhibetur cursus atque omnis quae erat conceptae mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae altioremo-

gis respici *conceptam intentionem*: nam eo ipso nostra loci interpretatio confirmabitur. Nimirum si quid excuti dici potest, *mens* est *concepta*, h. l. *cogitatio*: minime vero *intentio*.

§. 21. *altioremo*. Variat scriptura Codd. et editt. al. *apertioremo* Tur. Flor. Ambr. 2. Camp. et cod. Bern. Reliqui *apertioremo*. Gesn. Nostrum dant Guelf. et editt. Gryph. al. Obr. et Spald. Qui sit animi motus *apertus*, explicari quidem potest eum esse, qui se aperit, prodit; verum tamen utrum bene et apte dicatur, quaestio est. Equidem putaverim, omnem motum esse vel *interioremo*, vel *concitatoremo*, vel *levioremo* et modicum et huiusmodi alium: ad notionem vero *motus* definiendam nequaquam requiri id, utrum *apertus* sit nec ne, propterea quod clandestinus esse nequit: omnis scilicet motus in sensus incidat necesse est. Alia prorsus ratio est adfectuum, quorum notio latius patet, unde etiam *saevitia* et *consternatio* et *premi* et *erumpere* dicuntur. Cfr. Tacit. Ann. 1, 4. XIII, 16. Ceterum *aperte* et *apte* alias quoque inter se confusa. Drakenb. ad Liv. 1, 34, 8. — *torquere vultum simul et latus et interim obiurgare*. Haec vulgata lectio, quam Spalding. Codd. monumentibus, intactam relinquere noluit. Etenim illud *vertere* qua nitatur auctoritate, nam levis illa Cod. Paris. 2. a sec. m. in censum non venit, ignoratur; deinde recte dubitat, num *vertere latus* bonis scriptoribus in usu fuerit dicere: esse *manuum* ipse Quinctil. auctor est XI, 3, 101. Tum Codd. Tur. et Flor. nihil dant nisi ille: *sinti elatus inter*; hic: *simul et elatus*. In Guelf. tantum exhibetur: *simul et inter*. His ita compositis diversam attulerunt loco medelam VV. DD. Suasit Spald. verum non sine aliqua dubitatione: *vultum simul, interim et latus* (scil. *torquere*) *interim obiurgare* (sc. *latus*.) Frotsch. auctorem secutus Censorem Ienens. edit. Spalding. 1821. in contexta recepit haec: *torq. vult. sinum et latus interim obiurgare*. Scil. *latus obiurgare* esse i. q. ferire, castigare: de quo significato conferre iusserat Spald. Graev. ad Flor. 1, 1, 8. Interpretat ad Petron 34. quibus adnumeravit Frotsch. Brem. ad Suet. Calig. c. 20. Dissentit ab his, maxime a Frotsch. Zumpt. *obiurgare latus* idem esse quod *ferire, caedere*, vehementer dubitans et propius ad codicum scripturam accedere *scindere latus* opinans. Quod quomodo excusari possit atque firmioribus argumentis defendi, quam exigua quadam literarum similitudine, non video: nam quid sit *labra scindere* quum olim ambigeret Gesner. ad Quinctil. XI, 3, 81. quod tamen probabili explicuit ratione, esse: *a forti compressione subito laxare*: quid haec ad *latus* vix enucleari posse arbitror: nisi quis cogitet de *amictu*, velut si quis *exserto brachio latus introspicendum* dederit. Cfr. XI, 3, 118. et quae adnotavit

tum animi sequuntur quaeque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere vultum simul et latus et interim obiurgare, quaeque Persius notat, quum leviter dicendi genus significat:

*Nec pluteum, inquit, caedit nec demorsos sapit ungues:*

etiam ridicula sunt, nisi quum soli sumus.

22 IV. Denique, ut semel quod est potissimum dicam, secretum in dictando perit. Atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque; quod illa

Gesn. Itaque acquiescendum esse puto in iis, quae tum Cod. Flor. non suadet sed paene efflagitat, et quod consuetudini loquendi vel maxime conveniens esse apparet: *torquere vultum simul et latus; interim et obiurgare*. Ita enim XI, 3, 90. *motus laterum — torquendus dicitur*; et Cic. Orat. c. 18. *virilem laterum flexionem* memorat. *Obiurgare vero pectus vel latus, vel sinum*, vel longissime ab sermone vulgari recedere existimaverim, ipso Quinctiliano teste XI, 3, 140. ibiq. Gesner. et Zumptio adsentiente. Nam qui feruntur similes loci, et Flori et Suetonii I. I. in iis aliud quid significari, quam quae a nostro scriptore efferruntur, mihi persuasum est, et verba adiecta docent: velut *flagris obiurgare, vel ferulis*. Ponamus igitur, h. l. describi, quod vere interdum accidit, ut quum vehementius animo concitati sumus, eo usque exardescamus, ut vel nosmet ipsos vel alium quempiam adversarium, quo cum mente confligimus, magna voce increpemus. Itaque et hic valent illa, quae disseruit Quinctil. I, 3, 30. Maxima pars eloquentiae constat animo. Hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et *transformari quodammodo ad naturam eorum*, de quibus loquimur, necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, *hoc maioribus velut organis commovetur*. — *Persius*. Est Satir. I, 106:

§. 22. *potissimum*. al. *potentissimum*. Nostrum Tur. Flor. et post Camp. Iens. et posterr. ad Basil. acc. Paris. I. 2. Etiam aliis locis a librariis has duas voces confundi solere docuit Drakenb. ad Liv. II, 53, 3. Corte ad Plin. Epp. IV, 4, 1. ubi varia in editt. scriptura. Praetulit Spalding. *potentiss.* idque defendi potest quemadmodum supra §. 13. *frons adducta et obd.* Ac frequens est Quinctil. in hoc vocabulo usurpando, sed ubi illud adhibet, *probationes, exempla, testimonia* designat, vel infirmiora vel validiora. Cfr. III, 6, 8. V. 10, 103. 118. V, 11, 6. 37. Verum aliam cognosces loci nostri conditionem; itaque revocamus *potissim.* quod etiam Schaefer. ad Plin. Epp. I. 1. approbasse videtur. Scilicet praecipiente Cicerone Invent. I, 12. in *comparatione* per contentionem utrum *potius* aut quid *potissimum* sit, quaeritur. At quis est qui talem comparisonem s. gradationem a scriptore nostro h. l. admissam neget? — *atque*. Spalding.

coeli lib  
et beatio  
magis q  
Namque  
ab inter  
fide in  
et quocu

invis Co  
servit Fro  
Ciceronis  
Est ad Di  
comparan  
quae sequ  
quodam  
pra explic  
73. Coll  
6. 279. n  
Tur. Flor.  
magis, qu  
Ne risum  
mum: tar  
lianum?  
rare, sed  
sonis vel  
commodi  
felicitem  
ptatis et  
signis, qu  
cognata e  
nobis erip  
§. 23  
licet haec  
bentur ha  
agitasset  
multa iam  
ptius, vel  
hil esse n  
conque de  
tem incur  
sunt Alme  
Cfr. infra  
interdum i  
congressit  
existimem  
denai? See  
incerti aut  
codd. Vulg  
— avocen  
I. et I, 24  
solemne at  
abduci se

coeli libertas, locorum amoenitas, sublimem animum  
 et beatiorum spiritum parent. Mihi certe iucundus hic 23  
 magis quam studiorum hortator videtur esse secessus.  
 Namque illa quae ipsa delectant, necesse est avocent  
 ab intentione operis destinati. Neque enim se bona  
 fide in multa simul intendere animus totum potest:  
 et quocumque respexit, desinit intueri quod propositum

invitis Codd. ex coniectura dederat: *atqui*. Quae contra dis-  
 seruit Frotsch. quid spectent, videbis. *Atque* verum esse, unum  
 Ciceronis locum testem habeo, quo similiorem nostro vix reperies.  
 Est ad Div. IX, 15, 13. *Atque hoc nolim me iocari putes*; et si cui  
 comparanda est particula alii, erit: *et quidem*; cui respondent  
 quae sequuntur: *non tamen*. Inest vis *asseverandi*, ita ut *exaequet*  
*quodammodo et sane*. Eandem conditionem vidimus esse loci su-  
 pra explicati Cap. II, 20. Cfr. nos ad vers. germ. p. 148. Not.  
 73. *Colligentis* esse, quod in Indice explicat Ellendt ad Brut.  
 §. 279. *mecum erunt, qui dubitent*. — *locorum*. Sic Spald. ex  
 Tur. Flor. vulg. *locorumque*. — *parent*. Goth. *parant*. Non mirum  
 magis, quod *Schelius* ad Dial. de Oratt. c. 12. coniecit *pariant*.  
 Ne risum moveat consideranti quid sit: *coeli libertas parit ani-*  
*imum*: tantum a verborum proprietate aberrare potuisse Quincti-  
 lianum? Nimirum *parere* passim quidem est idem quod *sibi pa-*  
*rare*, sed ita usurpandum, ut *res* quae parere quid dicantur, per-  
 sonis vel similes sint, vel iis comparari queant, sic ut aliquid  
 commodi inde in ipsos auctores existat: veluti: *libertas publica*  
*felicitem parit*. Illa enim quam modo commemoravimus *volu-*  
*ptatis et commodi* (*πλεονεξίας*) nota praecipua est et veluti in-  
 signis, qua *parere* dignoscas a *parare*; cum qua ex rerum natura  
 cognata est notio opposita *detrimenti* capiendi, si forte *partum*  
 nobis eripiatur.

§. 23. *certe iucundus*. Frotsch. inserit: *ut Demostheni*: sci-  
 licet haec verba quasi eliciens ex notis Cod. Flor. in quo exhi-  
 bentur haecce: *vim demoni*. Quod quid sit quum frustra secum  
 agitasset Spalding. tandem bonam copiam eiuravit. Sed cui  
 multa iam debet Quinctilianus, mox etiam plura debebit, Zum-  
 ptius, vel aliquid hic latere putat, velut *iucunde vivendi*, vel ni-  
 hil esse nisi quod statim infra sequitur *videtur*, a librario quali-  
 cunque de causa transpositum. Simplicissimum quod in men-  
 tem incurreret literarum ductus intuentibus, praesertim quales  
 sunt Alm. *videmoni*, nobis se obtulit: *videndi* i. e. *prospiciendi*.  
 Cfr. infra §. 25. Et quum compertum habeamus, *vim* et *inde*  
 interdum inter se commutata esse, (plura huius generis exempla  
 congressit Drakenb. ad Liv. V, 20, 2.) quid obstat, quo minus  
 existimemus sensum vel scriptoris vel librarii fuisse: *inde vi-*  
*dendi*? Sed vereor iam, ne iusto gravioris momenti fecisse videar  
 incerti auctoris sententiam. — *illa q. ipsa*. Ita Spald. ex opt.  
 codd. Vulg. *illa ipsa quae*. — *delectant*. al. *delectent*. Iens. Tarv. Ald.  
 — *avocent*. al. *advocent*; turpi errore. Cfr. Plin. Epp. IX, 36,  
 1. et 1, 24, 3. Iens. et posterr. ante Ald. Erat fere verbum  
 solemne *avocari* de iis qui quacunq; causa a meditatione incepta  
 abduci se patiebantur. Vid. Interpret. ad h. l. — *respexit*. Sic Tur.

24 erat. Quare silvarum amoenitas et praeterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum aurae volucrumque cantus et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogere oculi. Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum

Guelf. Goth. Camp. et vett. editt. nonn. al. *respexerit*. Obr. Gesn. Quid frequentius acciderit hac Modorum permixtione, nescio. Cfr. Zumpt. §. 521.

§. 25. *ex quo - posset*. Obr. *poterat*. Idem nonn. editt. lens. et posterr. ante Bad. positum habent post *vox*. — *recondebat*. al. *recumbebat*: id quod esset ignaviae. lens. et qui eum secuti ante Ald. hic enim habet: *recipiebat*. — *ideoque*. Camp. *ideo*: probante Spald. cui cur non adstipuler, fortasse mecum alii sentient. — *velut tectos*. Enumeranda sunt varia tentamina, quibus librariorum erratis, si qua sunt, mederi studuerunt viri DD. Burmanno quondam placuit: *vel etiam lectus*. Refutavit eum Gesner. qui et ipse vulgatam lect. tuetur. Spaldingio haud ineptum videbatur coniecere, *vocem aliquam Graecam latere in rectos*, quod exhibent Tur. Flor. et Ambr. 2. Frotscher. duplicem viam patefecit, vel *erctos* i. e. septum vel *adrectos* legendum esse censens. Et hoc quidem adsensu comprobavit Geel. Biblioth. crit. nov. Vol. III. p. 287. Denique Zumpt. *velut arrectos* tanquam simplicissimam rei expediendae rationem commendat. At nos quod in hac litigatione suffragium feramus, anxie animo trahentes, id unum profitemur, nisi cui probentur quae nuper ad vers. Germ. p. 164. Not. 92. pro vulgata scriptura verba fecimus, *erectos* plus habere praesidii, quo defendatur, quam *arrectos*. Nam tum Quinctiliano admodum usitatum est vocabulum: I, 3. 10. *erectam circa studia mentem* vocat; IX, 4, 12. Pythagorei ad agendum dicuntur *erectiores*: tum illud *velut* cuius vis cernitur in lenienda notione duriore et quae non tam propria est quam esse debet, plus videtur convenire verbo *erigere* quam *arrigere*. Hoc enim nonnisi translato usurpatur sensu: et quid sit nemo nescit: ideo non excusatione indiget, vel si mavis, commendatione, quo spectat illud *veluti*. At illud *erigere* proprie est: afflictum et qui demisso animo est sursum tollere, veluti arborem prostratam. Denique, si licet imaginem per partes sequi, qui aliquem *arrectum tenere* cupit, vertice eum comprehensum teneat necesse est et sursum trahat; contra qui *erectum tenet*, ei iuxta consistere satis est. Sed missa sit conicio. Verum ut fatear: quae tandem cubiculo clauso, praesertim lumine uno collustrato vis inest veluti magica vel *erigendi vel arrigendi*? Nempe si qua est, erit sopiendi. Quibus etiam id addendum est, quod si *tectos tenere* legitur, arctiorem fieri sententiarum inter se connexio: modo enim dixerat Quinctil. de loco ex quo nulla exaudiri posset vox, nihil prospici; quem locum vel carceri vel sepulchro haud immerito compares. Eandem iam

cubiculum et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed quum in omni studiorum genere, tum in hoc prae-<sup>26</sup>  
 cipue bona valetudo quaeque eam maxime praestat, fru-  
 galitas necessaria est: quum tempora ab ipsa rerum na-  
 tura ad quietem refectionemque nobis data in acerrimum  
 laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum  
 est quam quod somno supererit, haud deerit. Obstat<sup>27</sup>  
 enim diligentiae scribendi etiam fatigatio: et abunde, si  
 vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem neces-  
 sitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri  
 ac relecti venimus, optimum secreti genus.

esse iubet conditionem lucubrantium. Itaque stet senten-  
 tia. Ceterum de discrimine verbor. *erigere* et *arrigere* cfr.  
 Corte ad Sall. Iug. 23, 1. Kritz ad Catil. 39, 3 et de confu-  
 sione vocabulorum *tectus* et *rectus* Drakenb. ad Liv. 34, 60 5.  
 a quo disces, vero animi torpore saepe a librariis *naves rectas*  
 scriptas esse pro: *tectas*.

§. 26. *quum* — *convertimus*. Haerebat cl. Spalding. in ver-  
 borum structura et in cumulato *quum*; magis ei placebat *quo*,  
 quod referretur ad studiorum genus. Sit ista iteratio particu-  
 lae: nam diversa eius est notio; et adhibito illo *quum* tum  
 perspicuitati tum rationibus sermonis Latini optime consultum  
 esse praeter Ramshorn. p. 611. quem laudavit Frotsch. te do-  
 cebit Zumpt. §. 580. sq. et tute ipse senties. — *supererit*. Palat.  
 Gebhard. *superarit*; ex usu consueto scriptoribus neque tamen  
 h. l. necessario. Cic. de Orat. II, 19. in quo *desse* aliquam  
 partem et *superare* mendosum est. Verum noli putare  
 nihil prorsus referre utrum verbum adhibeas; tam diffe-  
 runt, ut *superare* hic non modo possit sed ne debeat quidem  
 usurpari. Aliud enim est *residuum esse*, (superesse) aliud  
*abundare*. (superare) — *haud deerit*. Obstinato velut sensu Codd.  
 paene omnes conspirant in: *aut deer*. (Etiam Paris. 1. 6. in 2:  
 a sec. m. *haud*.) Eos secuti sunt libri editi usque ad Gryph.  
 Primus veram induxit scripturam *Badius* ex Vall. Quodsi quis  
 illud *aut* interpretari velit de *intermisso somno*, sibimet ipsum  
 sequentibus contradixisse Quinctilianum reperiatur. Sed obstat  
 etiam id quod antecedit *non plus*: nam si scribere volebat Quin-  
 ctil. *aut*, tunc dicere debebat: *cui — non irrogand. est nisi quod*  
 etc. Neque id taceam, *aut* a scriptore commutari debuisse in  
*vel*, propterea quod si quid somno deest, id casu fit et praeter  
 naturam, non necessario neque ex lege. Itaque frustra operam  
 in isto *aut* defendendo collocasse existimandus est Genklerus.

§. 27. *impediunt*. Ita opt. Codd. (acc. Ambr 2. Par. 1. 6)  
 et editt. Camp. Iens. cum posterr. ante Gryph. exc. Bad. Reliq.  
*impediunt*. Obr. Gesn. Duo tantum Alm. Voss. 1. *impediunt*.  
 Recte monet Zumpt. ad h. l. Ciceronianam rationem postulare  
*Coniunctivum*, sed ab usu priorum iam deflectere Quinctil. Equi-

28 Sed silentium et secessus et undique liber animus  
 ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contin-  
 gere: ideoque non statim, si quid obstrepet, abiiciendi  
 codices erunt et deplorandus dies, verum incommodis  
 repugnandum et hic faciendus usus, ut omnia quae im-  
 pedient vincat intentio: quam si tota mente in opus ipsum  
 direxeris, nihil eorum quae oculis vel auribus incursant,  
 29 ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita  
 hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus et itinere  
 deerremus: non consequemur idem, si et voluerimus?  
 Non est indulgendum causis desidia. Nam si non nisi  
 refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis va-  
 cantes, studendum existimaverimus, semper erit propter  
 30 quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, con-

dem observasse videor paullo diversam esse conditionem, utrum  
 aliquis respexerit *qualitatem* ita appellatam nominis, an *tempus*  
 et quae in eo accidere possunt: pro illa conditionis diversitate  
 unum alterumve Modum adsciscendum esse

§. 29. *An vero.* al. *at.* editt. vett. Ald. Basil. Gryph. Sed  
 illam interrogandi rationem vehementer amasse Quinctil. docuit  
 Spald. ad h. l. Cfr. V, 12, 21. XI, 2, 38. VI, 2, 30. Adde quod  
*vero* ubi adiungebatur particulae interrogativae *an*, levi ironiae  
 inserviebat: quae quam huic loco congruat, ipsa res docet. Cfr.  
 Goerenz. ad Cic. Fin. II, 26, 83. nec mirum, nonnullos post *vero*  
 inseruisse *si*; sed alium errorem deprehendes in *fortuito*, quod  
 est in Tur. Flor. de quo uberius egit Drakenb. ad Liv. 2, 28, 1.  
 Cfr. Orell. ad Cic. Offic. I, 29, 32. Idem accidit vocabulo *gratuito*.  
 Cfr. Interpret. ad Suet. Tib. 39. — *hoc.* al. *haec.* Camp. Iens. et  
 rell. ante Bad. Improb. Sp. — *aliis.* om. Iens. c. posterr. ante  
 Ald. in pauc. deest *omnib.*

§. 30. *conviv. etiam.* Addita leguntur post *etiam* in Iens.  
 verba haec: *vel concione*, a quo eadem recepta sunt a posterr.  
 paucis exceptis, in quibus Badius, qui ab aliquo imperito e mar-  
 gine in contexta intrusa opinatur. Forsitan aliquis *turbam* in-  
 terpretatione egere putavit; credo quia apud Livium et alios le-  
 gitur: *turba forensis*, 9, 46. et: *quum circumfusa turba esset, prope*  
*in concionis* modum. 2, 23. — *in quod.* al. *quo.* Optimi et plurimi  
 Codd. et editt. vett. hanc scripturam tuentur; et Zumpt.  
 eam revocare iubet; attamen Spaldingium sequi et priorr. in quib.  
 Obr. Gesn. potius habuimus, quum structura Accusativi propius  
 accedat ad usum *Dativi*, qui solemnus est scriptoribus. Ita Plin.  
 Epp. IX, 20, 5. *insulae vel litori vel sibi illisae* terunt teruntur-  
 que. Vide quae uti assolet, subtiliter et eleganter de quarti et  
 sexti casus discrimine accurate observando disseruit cl. Goerenz.  
 ad Cic. de Fin. V, 30, 92, p. 649. ac de more qui apud scriptores  
 posterioris aevi obtinuit cfr. Bremi ad Suet. Oct. 98. extr. Collat.  
 Tacit. Ann. I, 4. ubi leguntur: *congestos iuveni* consulatus. —



viviis etiam, faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, quum in medio foro, tot circumstantibus iudiciis, iurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quae idem ille tantus amator secreti Demosthenes in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expavescere.

V. Illa quoque minora (sed nihil in studiis parum 31 est) non sunt transeunda: scribi optime ceris, in quibus

*illideret. al. illideretur.* Praeter Paris. 2. Voss. 2. et editt. Vall. Iens. c. posterr. ante Ald. omissio haud dubie *se*, quod deest in Camp. et Vall.

§. 31. *parum est.* Operam nuper qualemcunque impendimus huic lectioni quae est optimor. libror. Tur. Flor. Camp. ita stabilien-  
 dae, ut in tuto esse possit. Cfr. Adnotat. ad vers. Germ. p. 166. Not. 95. Sed veremur nunc quidem, ut id et nobis et scripturae contigerit. Itaque suffulcienda sunt ex parte superiora, ne incursione facta subito concidant. Scilicet dum *parum esse* recte habere contendimus, non id petimus, ut adverbium adiectivi locum obtinere credatur; id nobis non magis persuaderi poterit quam Bremio ad Aeschin. advers. Ctesiph. §. 2. p. 278. edit. Goth. sed *parum esse* in unam nobis coalescere videtur notionem qua enuncietur ratio, qua quid habeat. Quemadmodum itaque *satis esse* neminem offendit, ita *parum esse* valeat necesse est. Atqui quum *satis esse* affine sit notioni *officii debiti* ideoque iusti et aequi cuiusdam: cur inde colligere nefas sit *parum esse* idem fere significare quod: *imparem esse officio, negligentem*? Ergo enunciatione paullo sed ex aequo commutata, sententia haec evadet: *omnia vel leviora in studiis explenda sunt officia; nulli deesse, nullum detractare fas est; omnibus satis esse debemus.* Nam eo quidem minime moveor, quod quum eiusdem generis *minora* esse adfirmentur, *parva* negari non possint; nam hic scriptoris singulare iudicium a vulgari discernendum esse, et res demonstrat et verborum compositio. *Illam* scilicet intelligas quae *vulgo feruntur*: sed quae num vere sint quaeritur. Deinde id quoque non praetermittendum est, *minora* ex orationis nexu notionem *parvi* non augere aut intendere, sed infringere ac diminuere; ideoque *parvum* plus significare quam *minora*. Quare haec nobiscum reputanti Spaldingiana ratio optime constabit. Itaque nisi res ipsa se tutabitur, quod in studiis sane parva nonnulla sunt, Quinct. 1, 1, 21. nihil tamen quamquam levioris momenti negligendum, actum erit de nobis. — *iuvant.* Nescio an alius quis mecum perhorrescat hoc verbum, praesertim quum in Tur. reperiat: *vigant* a corrig. *vigeant*; in Flor. *figant*. Nam primum *quomodo* iuvent dubium relinquatur; deinde *aciem* iuvare mire dictum videtur, quum *acies* per se spectata valida esse ponatur. Sed quum *aciem* *figere* non nisi hominum sit, oculos in aliquam rem intendentium, fortasse

facillima est ratio delendi; nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quae ut iuvant aciem, ita crebro relati, quoad intingitur, calami repetitione morantur manum et cogitationis impetum frangunt. Relinquen-

sunt qui dubitent apte idem membranarum tribui. Verum alia totius loci videtur esse sententia, quam quae adhuc esse putabatur. Hoc sibi voluit scriptor: *visus infirmior requirit membranas*, quia literarum ductus ac figurae facilius in iis distinguuntur: at contra *oculorum aciem* offendunt, quasi obtundunt; id quod expressit verbo: *figunt h. e. telo veluti acuto perstringunt*. Franco gall. *blesser*; nobis est: *stechen, einen Druck der Augen verursachen*. Velim me hunc dicendi usum pluribus exemplis confirmare posse, quam paucis nonnullis, quae suppetunt. Cic. Orat. c. 26, 89. orator — vitabit insanabiles contumelias: tantummodo adversarios *figet*. et de Nat. Deor. I, 24. Zeno ceteros quidem *figebat* maledictis. Cfr. Schirach. ad Orat. I. 1. Quae si ex vero disputata sunt, videbunt amatores Quinctiliani, eum nisi necessitate urgente usum membranarum non admittere, sed repudiasse propter duplex quod afferant incommodum. Atque hoc nostrum iudicium vel maxime confirmatur usu particularum correlativarum *ut — ita*: in quo quantum sibi Quinct. constet noverunt periti, quos appellatos velim. — *ita crebro relati etc.* Dedimus haec ex coniectura, meliora si quorum sunt non inverecunde respicientes. Spalding. pro sua modestia medelam loco depravato adferre desperans, ut servaret animam, haec in contexta efferebat: *crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum*. Frotsch. ex auctoritate cl. Hermanni edidit: *crebra relictionis quoad intinguntur calami repetitione*. Burmann. coniectatus erat: *crebra quoad tingitur calami repetitione*. Agmen claudat Zumpt. cui probantur haec: *crebra relictione, quoad intinguntur calami, et repetitione*; ita ut intelligatur *manus* crebro membranas relinquens et repetens. Difficile est exitum quaerere ex his ambagibus: id unum sentio ieiuni quid habere illud *membranas relinquere*; etenim ut scribendi intermissionem isto nomine appellasse Quinctilianus putetur, ego quidem deprecor. Cfr. adnotat. ad vers. Germ. p. 168. seq. Not. 96. — Codd. Tur. et Flor. dant: *crebro relationi quod* (Flor. s. m. quoad) *intingitur calami repetitione*. acc. nunc Paris. 1. 6. Amb. 2. hic: *intingitur*.

§. 32. *adiicienti*. Ita Spald. cum Gesn. aliisque At in Camp. et editt. ante Stoer. acc. Obr. *adiicienti*, quod et Goth. cum Paris. 2. tuetur. In Flor. Guelf. et al. nonn. *adiicienda*. Tutius ire videbamur, dum lectionem Spald. retinebamus; quamquam altera illa Camp. et temporis futuri conditione et testimoniis Codd. mirum quantum sustentatur. Cfr. supra III, 24. *circumspiciendi libertas*. Cic. Div. II, 10. *orationis excursio*. — *interpositione*. Spald. ex Turic. *accusativum* revocavit. Nos priores secuti sumus: quibus ducti rationibus expositum est ad vers. Germ. p. 170. — *confundant*. ex consensu optimor. Codd. et editt. vet. lens. Tary. Basil. quos nunc etiam adiuvant Paris. 1. 2. 6. Ambr. 2. Al. *confunduntur*. Locat. et posterr. ante Ald. acc. Bad. Reliq. *confundunt*. Obr. Gesn. Scilicet Coniunctivi vim h. l. eam esse docuit Spald. ut quod *fieri possit* significet. At metus potius animi est, qui

dae aute  
lae, in  
pigitian  
interpos  
modum  
(alioqui  
versum  
nitione  
latum.  
scribent  
qui sum  
optimi  
neque  
memor  
que opt

exprimi  
si cui pl  
In Codd  
sec. m.  
alii lo  
babus a  
esse st  
Flor. p  
Nam qu  
juvenes  
non con  
fugit, q  
tatem.  
§.  
Camp.  
acc. Ge  
paul. —  
et com  
ostendit  
nescio.  
lens. et

dae autem in utrolibet genere contra erunt vacuae tabellae, in quibus libera adiicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt; aut certe novorum interpositione priora confundant. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus iuvenem studiosum (alioqui) praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur, idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in quo notentur quae scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpent enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet neque differre tutum est, quia interim elabuntur, interim memoriae sui intentos ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in deposito. 33

exprimitur, ne tale quid accidat. Itaque ne id quidem recusarem, si cui placeret: interpositione ne priora confundant. — praelongos. In Codd. Tur. Flor. Almel. reperitur: praelongos alius. Flor. a sec. m. post longos alios. Num erubescat Quinctil. dixisse: prae aliis longos? Illud alioqui, si deesset, non adeo desiderarem: ambabus amplecterer ingeniosum. Quidni igitur a vero haud procul esse statuamus, illud aliis et quod paullo infra sequitur quia (in Flor. qui) a librario oscitante in unum corpus compositum esse? Nam quam Spalding. protulit explicationem, imparatos et segnes iuvenes quum ad orandum accessissent, fere fuisse verbosiores, non comprobem, quum qui prae ceteris dicti sint studiosi, neminem fugit, qui in aliquam cum Quinctiliano et Plinio venit familiaritatem.

§. 33. id est. Turic. dat: idem et. Inde exortum quod Camp. refert: item et. — loci. al. locis. Camp. et editt. ante Basil. acc. Goth. — irrumpent. Sic Spald. ex Tur. Flor. Vulg. irrumpunt. — sui. Hanc scripturam tanquam eruditissimam Spalding. et commendavit et quam validis firmetur testimoniis ad h. l. ostendit: neque vero in contexta recepit, Quod qui factum sit, nescio. Eandem praebent praeter Codd. Guelf. Goth. 3. Voss. lens. et posterr. ante Basil. et ex recent. Gesner. Reliq. suae. Obr.